


peccata ejusdem speciei infima; ideoque sufficit dicere in Confessione, se procurasse pollutionem.

25ta Qui habuit copulam cum soluta, satisfacit confessionis precepto, dicens: commisi cum soluta grave peccatum contra castitatem, non explicando copulam.

28va. Tam clarum videtur, fornicationem secundum se nullam involvere malitiam, & solum esse malam, quia interdicta; ut contrarium omnino rationi dissonum videatur

49na. Mollities jure naturæ prohibita non est; unde si Deus eam non interdixisset, sæpe esset bona, & aliquando obligatoria sub mortali.



TRACTATUS VI.

De Verbi Divini Incarnatione.

AD gratiarum, virtutum, ac donorum cœlestium, hætenus explicatorum, Auctorem contemplandum Theologia Dogmatica, & Scholastica nunc progreditur. Est is Dominus noster JESUS CHRISTUS verus Deus, & verus homo: De cujus plenitudine... nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia. Quia... gratia, & veritas per Jesum Christum facta est. Joan. cap. 1. v. 16. & 17.

Duas Tractatus hic in partes distribuetur: Prima circa Mysterium ipsum Incarnationis versabitur; Altera circa Historiam dogmaticam mysteriorum, ad Incarnationem pertinentium.

PARS I.

De ipso secundum se Incarnationis Mysterio.

SECTIO I.

Incarnationis Notio, Possibilitas, Existentia.

PRINCIPIA PRÆVIA.

1. Incarnatio est naturæ humanæ à Verbo Divino facta assumptio in unitatem personæ.

2. Possibilem esse Incarnationem, non potest quidem ex solâ ratione naturali *positivè*, ut vocant, *demonstrari*: potest tamen *negativè* ostendi, nulli eam rectæ rationis naturalis principio adversari.

DOGMATA.

1. Deum incarnatum iri, Prophetiæ veteres pronuntiârunt.

Dogma hoc Judæis demonstrandum ex Prophetiis veteris testamenti: id quod egregiè præstat Illustrissimus Daniel Huetius in *demonstratione Evangelicâ*. Prop. 7.

2. Messias, à Prophetis promissus, jam dudum advenit.

Probat hoc idem Huetius *ibid.* Prop. 9. Cap. 4. & 8.

3. Isque est JESUS Nazarenus à Judæis crucifixus.

Huetius *ibid.* Prop. 8. & 9. Ostendens, Prophetarum de Messia vaticinia convenire ad amussim omnia in JESUM Nazarenum. Famosum item Philonis Judæi testimonium, quo is fatetur JESUM, esse Christum, sive Messiam, profert, & vindicat. Prop. 3. à N. 11. Uri & S. D. N. Benedictus XIV. de Beat. & Canoniz. L. 1. Cap. 1. N. 9. & Lib. 4. P. 1. C. 2. N. 3.

4. JESUS hic est DEUS incarnatus.

Probandum id Judæis ex veteribus Scripturis. Adversus Christianos hæreticos verò ex novo etiam Testamento.

ERRORES.

- (1.) Ethnicorum, ipsam usque ad eò possibilitatem Incarnationis;
- (2.) Judæorum, & divinitatem Messia, & adventum, negantium.

QUÆSTIO.

Quomodo Incarnatio facta probetur Ethnicis?

Ubi de SS. Patrum argumentis, petitis ex Hermete Trimegisto, & Sybillarum libris; ex quibus multa de Christo vaticinia adfert Laëtantius *Inst. Divin. Lib. 4. Cap. 15. & 18.* Poterit hac occasione institui crisis, quid sentiendum de his propheticis Ethnicorum libris; & urgebuntur interim effica-

efficaciter alia argumenta, quibus abundè probaretur JESU Divinitas, quamvis nulli extarent ejusmodi libri.

PROBLEMATA.

Quæ vel præteribuntur, si temporis urgebunt angustia, vel breviter absolventur.

1. An plures Personæ divinæ potuissent assumere eandem naturam creatam.
 2. An divina natura, Personis omnibus communis, potuisset incarnari.
 3. An Persona divina assumere *personam* creatam.
 4. An etiam cujusvis speciei naturam creatam.
- De quo cautè, nec facilè in populo, loquendum.

SECTIO II.

De Incarnationis convenientiâ & necessitate.

CONCLUSIONES THEOLOGICÆ.

1. Incarnatio fuit conveniens Deo. S. Thom. P. 3. Q. 1. Art. 1.
2. Conveniens verbo divino. *Idem ibid. Q. 2. Art. 8.*
3. Conveniens temporis, quo facta est.
4. Conveniens humanæ naturæ.
5. Conveniens universo.

PROBLEMATA:

1. An fuerit absoluta Incarnationis necessitas: ut asserunt Lulliani, & alii quidam Auctores.
 2. An ex hypothese mundi conditi.
 3. An ex hypothese naturæ humanæ ad statum supernum elevatæ.
 4. An ex hypothese peccati Adæ.
 5. An ex hypothese decreti divini de reparando homine lapsa.
6. An

6. An ex hypothesi condignæ satisfactionis Deo exhibendæ.
 Quâ occasione discutietur utilis Quæstio: *Utrum, & cur, ne-
 queat pura Creatura condignam Deo prestare satisfactionem pro
 peccato proprio, vel alieno, Quam tractat Petavius lib. 3.
 cap. 4.*

SECTIO III.

De personâ assumente, & naturâ assumptâ.

DOGMATA.

1. Non tota Ss. Trinitas incarnata est, sed sola secunda
 Persona *in eo, quod proprium est Filii, non quod
 commune est Trinitati.* Concil. Tolet. VI.

Ex quo per modum Conclusionis Theologicæ paucis infe-
 retur: *Per unionem Hypostaticam cum naturâ humanâ proximè
 uniri solam Verbi Personalitatem; remotè verò, sive mediatè, us
 loquuntur, etiam Naturam Divinam.*

In Quæstione autem, quâ commodissimâ scholarum Catho-
 licarum sententiâ salventur propositiones sibi in speciem
 contradicentes: *Filiatio est proximè unita, Natura divina non
 est proxima unita; satis erit se referre ad ea, quæ de Deo
 Trino in quæstione simili solent disputari.*

2. Assumptum non est *persona* humana; sed *partes
 nostre nature simul unitæ*, humanum videlicet
 corpus, & anima rationalis. *Concil. Vienn.* Quas
 quidem sic sibi conjunxit, ut ex tribus, Verbo, ani-
 mâ, & carne, fieret una Persona. S. Aug. *lib. 13. de
 Trinit.*
3. Propriè ergò non assumpsit Deus *hominem* (quate-
 nùs scil. *homo personam humanam* significat)
 sed assumendo ea, quæ sunt hominis, factus est ho-
 mo, S. Thom. *P. 3. Q. 5. Art. 3.*

- 4. Corpus à Verbo assumptum fuit verum, non phantasticum, non cœleste, vel aëreum, sed terrenum, ex carne constans & sanguine.
- 5. Præter carnem humanam, assumpta etiam fuit à Verbo anima rationalis, mente, & ratione prædita.
- 6. Simul Dei Verbi caro, simul caro animata, rationalis, & intellectualis. *S. Damascenus.*

Non ergo unio Verbi cum carne tempore præcessit unionem Verbi cum animâ, nec vicissim. Neque natura humana Christi fuit unquam sine unione cum Verbo Divino.

ERRORES.

- 1. Theopaschitarum, aut Triadopaschitarum (qui & ab aliquibus vocantur Patropassiani) somniantium, totam Ss. Trinitatem (proinde etiam Patrem) fuisse incarnatam, & passam.
- 2. Apollinaris, qui primùm docuit, Christum quidem corpus sumpsisse ex B. Virgine, sed sine anima: postea verò sumpsisse quidem & animam, sed sine mente.
- 3. Manichæorum, qui negabant Christum prodiisse ex utero Virginis, & hominem verum fuisse.
- 4. Phantasticorum, non verum, sed phantasticum Christo corpus tribuentium.

PROBLEMATIS

Instar explicari poterit; quas corporis organici partes Verbum assumpserit. Subjungetur item Quæstio, olim celebris; An dici possit: *Unus de Trinitate passus est.* De hac Petavius scribit, historice *L. 1. de Incarn. Cap. 18.*, & dogmaticè. *L. 5. Cap. 2. § 3.*

SECTIO IV.

De causis Incarnationis.

DOGmata.

- 1. *Causa finalis.* Propter nos homines, & propter nostram

stram salutem descendit de cœlis, & incarnatus est.

Misit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus. Galat. 4.

2. *Causa efficiens.* A totâ licet Ss. Trinitate communiter incarnatus, dicitur tamen de Spiritu S. conceptus :

Non sicut filius de Patre, cum sit solius Virginis **MARIÆ** Filius secundum carnem.

3. *Causa meritoria.* Unionem hypostaticam Anima, vel Humanitas Christi, non meruit.

ERROR

Apellis, & Marcionis, qui teste S. Epiphanio *Heresi 44.* asseruerunt, Christum carnem suam non de Matre, sed ex elementis, accepisse.

PROBLEMATA.

1. An Christus primariò venerit propter peccatum originis, secundariò propter actualia peccata?
2. An si Adam non peccasset, Christus fuisset venturus.
3. Quale fuerit, vel esse potuerit, meritum, sive Christi, sive B. Virginis, sive Patrum antiquorum, circa substantiam Incarnationis, vel saltem circa res eam circumstantes, ac præcipuè circa Maternitatem. Sed expedietur hæc questio eadem brevitate, quâ illam expedivit S. Thom. P. 3. Q. 2. Art. 11.

SECTIO V.

De partibus compositi Theandrici intimis.

DOGMATA.

1. Persona Divina Verbi per unionem veram, propriam, & physicam, non per solam quandam conjunctionem, vel dignitatis, vel auctoritatis, vel affectûs, aut inhabitationis, univit sibi naturam humanam.
2. Propterea una Persona est Christus, verus Deus, & verus homo, sive *Θεανδρος*, id est, Deus-homo.
3. Una hæc persona non est humana, nec tertia quædam, ex divinâ, & humanâ confurgens, sed eadem illa *Persona divina*, quæ est ab æterno *consubstantialis Patri*.
4. In hac unâ Christi *Personâ* duæ sunt *Nature*, Divina, & Humana, nec confusæ, nec permixtæ. Non duo tamen, sed unus est Christus. Unus autem non conversione divinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum: unus omninò, non confusione substantiæ, sed unitate personæ. *Symb. S. Athanas.*
5. Duæ sunt pariter in Christo voluntates distinctæ, divina, & humana.
6. Nec minùs sunt actiones diversæ; aliæ divinæ, aliæ humanæ.

ERRORES.

- (1.) Nestorii duas in Christo personas; (2.) Eutychis unam natu-

nam, h
nam, unam
Novorum
Bandati duc
tionem Perio
ic, nisi in ment
tam a Deo divi
nem gratiæ, &
Deum, sed De
Lib. 1. de Chri

Quis sit ge
su verborum
vomo: ita Deu

Relinque
princip
dam p
celle it
Quid unio
verbis

Com

Idioma
nitati, ve
Commun
dicandi e
nis sunt,
Fundam

naturam, humanâ per Divinitatem absorptâ; (3.) Monothe-
 litarum, unam duntaxat in Christo voluntatem adstruentium.
 (4.) Novorum Samosatensium, Michaële Serveto, & Georgio
 Blandratâ ducibus, tria docentium: Nullam esse in Deo distin-
 ctionem Personarum; Christum ante Incarnationem nihil fuisse,
 nisi in mente Dei per ideam; Christo homini communica-
 tam à Deo divinitatem, non per generationem, sed per unctio-
 nem gratiæ, & inhabitationem, ac proinde posse Christum dici
 Deum, sed Deum factum in tempore, non æternum. Bellarm.
Lib. 1. de Christo Cap. 1.

QUÆSTIO.

Quis sit genuinus secundum rigorem Theologicum sen-
 sus verborum S. Athanasii: *sicut anima rationalis, & caro, unus est
 homo: ita Deus & homo unus est Christus.*

Relinquetur suum cuique, pro adoptatis à se in Philosophiâ
 principiis, iudicium; *an unionem hypostaticam dicere velit mo-
 dum physicum ab extremis unitis re distinctum, nec ne: quin ne-
 cesse sit cramben hanc in Ss. Theologiâ recoquere.*

Quid unionem inter, & assumptionem, intersit, tribus quasi
 verbis expedietur.

SECTIO VI.

Communicatio Idiomatum in Christo.

PRINCIPIA PRÆVIA.

1. *Idioma* hoc loco dicitur quodvis attributum, Divi-
 nitati, vel humanitati, Deo, vel homini, proprium.
2. *Communicatio idiomatum* est vis, & potestas, præ-
 dicandi ea, quæ Dei sunt, de homine; & quæ homi-
 nis sunt, de Deo; & quæ utrinque sunt, de Christo.
3. *Fundamentum hujus communicationis* est (per

dogma 2. (sect. præced.) *unitas* Personæ, sive Suppositi, ex Naturis, divinâ, & humanâ, hypostaticè unitis, confurgens.

Actiones enim sunt Suppositorum. Cujus tamen axiomatis crisis videre licet in *Prodromo P. Ulloæ.*

4. Prædicationes ejusmodi non sunt temerè, & cæco impetu instituendæ. Sed religiosissimè, uti aliis in mysteriis, ita & hîc, observanda erit regula: *ut non modò sentiamus ad unguem cum Ecclesiâ Catholicâ, sed etiam loquamur; atque ut non modò non sentiamus cum heterodoxis, sed & non loquamur; sicut sententiis, ita etiam verbis, ab eis nos secernentes.*

Canones Communicationis Idiomatum.

1. *Concreta* Naturarum ambarum rectè prædicantur de se invicem, non *abstracta.*

Secundùm hunc canonem *Deus est homo, & Homo est Deus.* Non tamen *Humanitas est Divinitas, nec Divinitas est humanitas.*

Hac occasione examinabitur, per modum argumenti objecti, quæstio: quomodo nihilominus vera in rigore dialectico sit hæc propositio: *Ego sum via, veritas, & vita.*

2. Subjecto, per particulam *ut*, vel *quatenus*, aliisve similibus particulis, reduplicato, non convenit alterius naturæ attributum, sive prædicatum.
3. Propositiones, attributa alterius naturæ negantes de alterâ, falsæ erunt, nisi limitentur, ut par est, aut emolliantur,
4. Quæ-

4. Quæcunque non supponunt unionem, sed ipsam unionem exprimunt, in communicatione Idiomatum non habebunt locum.

DOGmata.

1. Est in Christo Domino vera communicatio Idiomatum.

Communicatio hæc nec est propriè, & expressè *realis*, quasi ipsa Humanitas facta sit reipsa in se omnipotens, & omnipræsens, ut volunt Ubiquistæ; nec merè *verbalis*, ut vult Beza; sed est *realis* quidem, at verò *respectu Hypostasis* utriusque naturæ, non *respectu ipsarum Naturarum*. Hinc

2. Natura humana verbo unita non est propterea ubique.

3. Verè dicitur: *Homo est Deus. Verbum caro factum est. Deus homo factus est. Deus descendit de cælis. Dominus gloria est crucifixus. Impassibilis est passus; Immortalis est mortuus. Christus est Filius Dei, est Filius hominis. Est heri & hodie, ipse & in sæcula: Quamvis hæc ultima videantur in speciem contraria, aut contradicentia.*

Possent quidem etiam in sano & orthodoxo sensu dici hæc:

Christus est minor, non est minor Patre. Ne tamen (per Princip.

4. *huj. sect.* verba usurpemus hæreticis communia: propterea non est crudè, & absolutè dicendum cum Arianis:

Christus est creatura, est minor Patre; sed cum hac reduplica-

tione, secundum quod est homo. S. Thom. P. 3. Q. 16. art. 3.

8. 9. 10.

Excipiuntur item illa Naturæ humanæ prædicata, quæ excludunt

cludunt *Suppositum divinum*, & requirunt *humanum*. Hinc dici non potest: *Christus est purus homo*. *Potesi peccare*. *Est Filius Dei adoptivus*.

- 2. Non hominem Deificam dicimus, sed Deum humanatum. S. Damasc. Hinc falsa hæc propositio: *Homo factus est Deus*. S. Thom. l. c. art. 7.

Similisque id genus aliæ hac de materiâ propositiones ponderabuntur, veræne sint, an falsæ, aut malè saltem sonantes.

ERRORES.

Circa communicationem idiomatum *in concreto* errarunt Nestoriani; circa eam *in abstracto*, Ubiquistæ, sic appellati, quòd, sicut Divinitatem Christi, ita & Humanitatem ejus, dicerent esse ubique. De quibus Tournelius hoc loco.

SECTIO VII.

De Christi Domini intellectu, & scientia.

DOGmata.

- 1. Sunt in Christo omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ reconditi. *Coloss. 2. v. 3.*
- 2. Christi anima non didicit paulatim, quod antea verè ignoraverit.
- 3. Neque egit unquam per ignorantiam, aut errorem aliquid, quod corrigi post debuerit.

PROPOSITIONES THEOLOGICÆ.

- 1. Christi anima inde à primo creationis suæ momento fruita est clarâ, & beatâ Dei visione.

Quamvis propositionem hanc Theologi Catholici non avertunt numerare inter apertè revelata, & clarè definita Fidei dog-

dogmata; tam communi ea tamen Christianorum consensu admittitur, ut negari sine temeritate non possit.

2. Hinc *triplicem* in Christo distinguere licet *scientiam*, ut putà *Beatam, infusam, & acquisitam* experimentalem.

ERRORES.

(1.) Agnoitarum, qui, auctore Themistio diacono, docebant, Christi animam fuisse ignorantia, perinde ut nos, obnoxiam; & paulatim didicisse, quæ prius nesciverit. (2.) Modernorum A catholicorum, cum Luthero in Concione de *Natal. Dom.*, Zvinglio in *sua confess. Art. 1.*, Bucero, & Calvino in *Cap. 24. & 26 Matth.*, non dubitantium asserere in Christo ignorantiam, oblivionem, inconsiderantiam, imò & facta per errorem, quæ corrigi oportuerit

Discutienda hinc, & catholicè exponenda erunt hæc S Scripturæ loca, quibus potissimum nituntur Novatores isti: Heb. 2. v. 17. *Debuit per omnia fratribus similari.* Heb. 4. v. 15. *Tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato.* Luc. 2. v. 40. *Puer autem crescebat, & confortabatur, plenus scientiâ Dei: & gratia Dei erat in illo.* Ibid. v. 52. *Et Jesus proficiebat scientiâ, & aetate, & gratiâ apud Deum, & homines.* Marc. 13. v. 32. *De die autem illâ vel horâ nemo scit, neque angeli in celo, neque Filius, nisi Pater.* Matth. 26. v. 39 *Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste. Veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu.* Videri potest Bellarm. *De Christo Lib. 4.*

QUÆSTIONES.

1. Ad quas res se scientia animæ Christi extendat.
2. An sit omniscientia.

OMITTENDA.

An scientia Christi fuerit habitualis, an actualis; an distincta per diversos habitus; utrum major scientiâ Angelorum; an distinctiva; an pendens ex phantasmate; an visio ejus beata fuerit

com-

comprehensiva, & quidquid ex alibi explicatis de visione Dei beatâ poterit huc applicari.

SECTIO VIII.

De Sanctitate, & Libertate voluntatis Christi.

DOGMATA.

1. Christus est sanctus, non solum sanctitate infinitâ substantiali Divinitatis; *quia in ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter.* Colofs. 2. v. 9.
2. Sed etiam sanctitate accidentali. *Et gratia Dei erat in illo* Luc. 2. v. 40. *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti à Patre, plenum gratia.* Joan. 1. v. 14.
3. Ornatus item fuit omnibus donis Spiritûs S. *Egre dietur virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet, & requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientie, & intellectûs &c.* Isai 11. à v. 1.
4. Fuerunt in eo virtutes;
5. Et gratiæ gratis datæ, veluti Prophetia &c. *Sicut in capite sunt omnes sensus, ita in Christo fuerunt omnes gratia.* S. August. Epist. 52.
6. Præditus fuit perfectissimâ ad benè agendum, & merendum, libertate.
7. Quâ humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem. *Philip. 2. v. 8.*

8. Pec-

8. Peccare tamen non potuit, ac proinde nec peccavit.

Quis ex vobis arguet me de peccato. Joan. 8. v. 46.

Qui peccatum non fecit. 1. Pet. 2. v. 22.

9. Christus secundum voluntatem sensualitatis, & secundum voluntatem voluntatis, quæ consideranda per modum naturæ, aliud poterat velle, quàm Deus. S. Thom. P. 3. Q. 18. Art. 5. in C.

10. Sed secundum voluntatem, quæ est per modum rationis, semper idem volebat, quod Deus. Hoc patet ex ipso eo, quod dicit: *Non, sicut ego volo, sed sicut tu.* S. Thom. ibid.

11. Non fuit passionibus animæ, & concupiscentiis carnis, molestatus. *Conc. Constantinop. V. Can 12. Act. 8 vâ.*

ERRORES.

(1.) Petri Abaillardi, qui negavit, fuisse in Christo Spiritum timoris Domini, ut refert S. Bernardus *Epist. 190.* (2.) Wicleffi, qui Art. 27. omnia de necessitate absoluta evenire asserens, etiam Christum negabat habere liberum arbitrium. (3.) Theodori Mopsuesteni, qui dixit, *alium esse Deum Verbum, & alium Christum, & passionibus animæ, & concupiscentiis carnis, molestatum, & à malis molestatum, & à malis paulatim separantem se &c.* Constantinop. can 12 cit. (4.) Blasphemi cujusdam Apostatæ, cujus meminit Joan. Cochleas in actis Lutheri, & Surius ad annum 1527., qui dixit, Christum in cruce desperasse, id est, peccasse gravissimè, & fuisse damnatum usque ad resurrectionem.

QUÆSTIONES, & PROBLEMATA.

1. An plenitudo gratiæ sit propria solius Christi, & quomodo B. Virgo MARIA salutetur *gratiâ plena.*

Gg

2. Utrùm

2. Utrum gratia Christi potuerit augeri. S. Thom. P. 3. Q. 7. Art. 12.

3. An in Christo fuerit fides, & spes *ibid.* Art. 3. & 4.

4. An potestas patranda miracula fuerit in anima Christi principalis, an instrumentalis. P. 3. Q. 13.

5. An Christum peccare non potuisse ortum fuerit ex unione hypostatica, an ex visione Dei clarâ, an ex Providentia Dei eum extrinsecus protegente.

6. Quæ Catholicorum sententia videatur optimè libertatem Christi conciliare cum ejus impeccabilitate.

SECTIO IX.

De infirmitatibus Naturæ humanæ Christi.

DOGMATA.

Infirmitates corporis.

1. Corpus Christi fuit subjectum infirmitatibus, ut ei satisfactionis materia non deesset. S. Thom. P. 3. Q. 14. Art. 1.

2. Ac nominatim fuerunt in Christo defectus corporales, scilicet: mors, fames, sitis, & hujusmodi. S. Thom. *ibid.*

Non assumpsit tamen eos defectus, qui non consequuntur communiter *totam* naturam humanam, propter peccatum primi parentis; sed causantur in *aliquibus hominibus* ex quibusdam particularibus causis, sicut lepra, morbus caducus, & alia hujusmodi, quæ quandoque causantur ex culpa hominis, putà ex inordinato victu; quandoque ex defectu virtutis formativæ. S. Thom. Q. cit. art. 4.

3. Non aliquo peccati debito hos corporis defectus

con-

contraxit, sed propriâ voluntate. *Q. cit. Art. 3.*

4. Sensit veros dolores corporis. *Vidimus eum... virum dolorum, & scientem infirmitatem... verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit. Isai. 53.*

Infirmitates animi.

5. Fuit in Christo vera tristitia animi. *Tristis est anima mea usque ad mortem, Matth. 26, S. Thom. ibid. Q. 15. Art. 6.*

6. Fuit timor, pavor, tædium. *Cæpit pavere, & tædere. Marc. 14. S. Thom. ibid. Art 7.*

7. Fuit admiratio (*Audiens JEsus miratus est. Matth. 7.*) de novo, & insolito, non quidem secundum ejus scientiam beatam, vel etiam infusam; sed secundum scientiam experimentalem tantum. *D. Thom. ibid. Art. 8.*

8. Fuit ira, non per vitium; sed per zelum. *Zelus domus tue comedit me. Psal. 68. v. 10. Joan. 2. v. 17. D. Thom. ibid. Art. 9.*

9. Passiones animi aliter fuerunt in Christo, quàm in nobis quantum ad tria; (1) quia non ferebantur ad illicita; (2) quia non præveniebant judicium rationis; (3) quia non trahebant rationem, quòd ratio ex his nullo modo impediabatur facere, quæ conveniebant. *S. Thom. Q. 14. Art. 4.*

10. Non fuerunt in Christo illi defectus animæ, qui re-

pugnant perfectioni scientiæ, & gratiæ: sicut ignorantia, pronitas ad malum, & difficultas ad bonum, S. Thom. Q. 14. Art. 4.

ERRORES.

(1.) Cerdonis, quem S. Augustinus ad Quodvultdeum Cap. 21. refert ita docuisse, ut dixerit, Christum neque natum ex foemina, neque habuisse carnem, neque verè mortuum, neque quicquam passum, sed simulasse passionem. (2.) Manichæorum error est priori simillimus: dixere enim, Christum non fuisse verum hominem, sed phantasma quoddam. (3.) Priscilliani, eundem errorem amplexantis, ac propterea nec natalem Domini, nec resurrectionem piè colentis.

QUÆSTIONES.

1. An constet, quâ facie fuerit Christus? & quid sentiendum de ejus effigie, quæ circumfertur, & ad regem Abgarum ab ipsomet missa dicitur? quid de imagine ita dictæ Veronicæ.
2. An, & cur, dolores Christi superaverint omnem dolorem. De quo S. Thom. Q. 64. Art. 6.

SECTIO X.

De meritis Christi.

DOGMATA.

1. Christus verè propriè meritus est ab initio vitæ usque ad mortem.
2. Merita Christi infinitam per se habent virtutem ex Persona divina. Extrav. Unigenitus de Pœnit. & remis.
3. Horum proinde in Ecclesia inexhaustus, & infinitus est

est thesaurus, quo qui usi sunt, Dei amicitiae participes sunt effecti. *Ibid.*

4. Veruntamen non utentibus, & non cooperantibus adultis is nihil prodest.
5. Meruit Christus non tantum aliis, sed etiam sibi.
6. Sibi quidem gloriam corporis redivivi, & exaltationem Nominis, quod est super omne nomen.
7. Hominibus aliis, quotquot, vel ante ipsum, vel cum eo, vel post eum, vixerint, omnia caelestis gratiae dona, quaecunque ulli mortalium post Adami lapsum divinitus unquam obtigerint. *Benedicentur in semine tuo omnes gentes.* Gen. 26. v. 5.
8. Merita Christi igitur omnium sunt meritorum nostrorum scaturigo; ex illisque in haec vis omnis, & virtus dimanat.
9. Propterea meritorum nostrorum virtus non modo nihil derogat meritis Christi, sed ea etiam maxime commendat.

ERRORES.

(1.) Calvini, asserentis, Christum nihil sibi, sed totum aliis, meruisse. (2.) Lutheri, & aliorum novatorum hujus temporis, docentium, homines ex solis Christi meritis, per fidem apprehensis, salutem consequi; nullum vero esse bonorum operum nostrorum meritum. (3.) Eorundem vel error, vel calumnia, qua dicunt, Catholicos nihil tribuere meritis Christi, sed omnem spem suam in propriis bonis operibus, & meritis repositam habere.

PRO-

PROBLEMATA.

1. An Christus etiam meritis sit per actiones humanitatis suæ naturales.
2. An, & quid meritis fuerit Angelis.

SECTIO XI.

De satisfactione Christi.

1. Christus passione suâ, & morte, satisfecit Deo pro peccatis nostris: *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris.* 1. Joan. 2. v. 2.
2. *Non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.* Ibid
3. Non igitur pro solis fidelibus mortem suam Patri obtulit, sed etiam pro infidelibus.
4. Non pro prædestinatis tantum, sed etiâ pro reprobis.
5. Hæc redemptio est copiosa, & superabundans.

In ara crucis innocens immolatus, non guttam sanguinis modicam, que tamen propter unionem ad Verbum pro redemptione totius humani generis suffecisset, sed copiosè, velut quoddam profluvium, noscitur effudisse. Extrav. Unigenitus de Pœnit. & remis.

6. Opus redemptionis nostræ ita totius Christi est, ut neutri naturæ soli tribuendum sit. Nam mortem solus Deus pati, solus homo superare, non potuisset.

ERRORES.

- (1.) Godeschalci, Calvini, Jansenii, Quæsnelli, dicentium, mortuum esse Christum pro solis electis, seu prædestinatis, non pro omnibus.
- (2.) Aliorum, docentium, non pro solis quidem electis,

electis, sed pro omnibus, & solis fidelibus, mortuum. (3.) Origenis, asserentis, etiam mortuum pro dæmonibus, & damnatis, ut post quædam annorum curricula pœnis liberentur. Vid. Petav. *Lib. 12. Cap. 10.* (4.) Socinianorum, Christi satisfactionem metaphoricam duntaxat esse blasphemantium; quibus non multum ab similia docuit Abaillardus, ut refert S. Bernardus *Epist. 190.*

PROPOSITIONES DAMNATÆ.

Janfenii 5ta. *Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omninò hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse.*

Ab Alexand. VIII anno 1670 4ta. *Dedit semetipsum pro nobis oblationem Deo, non pro solis electis, sed pro omnibus, & solis fidelibus.*

Quæsnelli 3da. *JESUS Christus se morti tradi lit, ad liberandum pro semper suo sanguine primogenitos, id est, electos, de manu Angeli exterminatoris.*

QUÆSTIONES.

1. An satisfactio Christi fuerit condigna, seclusâ Dei acceptatione.

1. An satisfactio Christi fuerit æquivalens, & ex strictâ justitiâ.

Quam questionem affirmativè proponere, licet id Catholica fides non exigat, est omnino extremos Socini impetus confringere. Inquit Beiti L. 28. Cap. 8. n. 2.

SECTIO XII.

De Titulis Christi, & Prærogativis, quibus pollet comparatus ad Deum.

1, Est verus proprius unigenitus Dei Filius. *Concil. Francof. in Epist. Synod. Proprio filio non pepercit. Rom, 8.*

2. Non

2. Non est ullo modo dicendus *Filius Dei adoptivus*, etiam secundum naturam humanam. *Conc. Francof. ibid.*

Nam *Filiatio proprie convenit Hypostasi, vel persone, non autem natura* &c. S. Thom. P. 3. Q. 23. art. 4. in C. *Si Deus generatus est, nequaquam adoptivus, sed Filius: quia alia persona est proprii filii, alia adoptivi. Et scimus, unam esse personam in Christo Deo, Dei, & hominis.* *Conc. Francof. ibid.*

3. Exinanivit semetipsum, formam servi accipiens. Ad Tit. 2. v. 9, attamen *hæc testimonia* (scilicet ex Epist. Hebr. cap. 1. à v. 1.) *non servum, non adoptivum dicunt Dominum nostrum Jesum Christum, sed filium, & heredem universorum.* *Conc. id. ibid.*
4. *Et, si eum Propheta servum nominasset, non tamen ex conditione servitutis, sed ex humilitatis obedientiâ, quâ factus est Patri obediens usque ad mortem.* *Conc. idem ibid.*

Nec aliud ferè sibi vult S. Thom. P. 3. Q. 20. Art. 1. & 2. ubi videtur asserere, Christum esse Dei servum secundum naturam humanam.

5. Non immeritò Scriptura utrumque dicit, æqualem Patri Filium, & Patrem Filio majorem: illud enim propter formam Dei, hoc autem propter formam servi, sine ulla confusione intelligitur. S. August. *Lib. 1. de Trinit.*
6. *Dicitur Christus, sive unctus, per excellentiam. Unxit te Deus, Deus tuus, oleo latitiæ præ consortibus tuis.* Psalm. 44.

Alli reges, qui typum eius prætulērunt, & regnando confor-
tes dicti sunt, oleo corruptibili sunt inuncti. Hic verò Fi-
lius Dei à Patre oleo exultationis, hoc est, resurrectionis,
dominationisque, est delibutus: quia Christus *naturà* un-
ctus, nos *per gratiam*; quia in illo pleniter fuit divinitas.
S. Hieron. in *Psal.* cit.

ERRORES.

(1.) Felicis Urgelitani, & Elipandi Toletani, qui sæculo
VIII. in Hispania sparsere doctrinam, *Christum secundum naturam
humanam assumptam non naturalem, sed adoptivum, esse Dei Fili-
um.* Qui error damnatus est à Concilio Francofurtensi cit. Ba-
sis hujus erroris erat, quòd cum Nestorio duas in Christo, ut na-
turas, sic & personas, esse, prædicarent. (2.) Ascasii Bracaren-
sis, & Fidelis Abbatis, ac quorundam Bracarensum; qui eun-
dem hunc errorem secuti sunt, quamvis unicam in Christo per-
sonam agnoscerent.

QUÆSTIONES.

1. An, & quo pacto, Christus dicendus esset Filius Dei natu-
ralis; si non Dei Filius, sed alia è Personis divinis, assumpsisset
naturam humanam.
2. An Christus fuerit subiectus sibi ipsi; de quo S. Thom. 1.
2. 20. Art. 2.
3. An fuerit obstrictus lege naturali.
4. An factus obediens Patri usque ad mortem, fuerit ad eam
acceptandam obstrictus præcepto Patris rigido, & sub peccato.

SECTIO XIII.

Tituli, & Prærogativa Christi inter Creaturas.

1. Est primogenitus omnium creaturæ: quoniam in ipso
condita sunt universa, ... omnia per ipsam, & in ipso

Hh

crea-

creata sunt, & ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant. *Coloss. 1. à v. 15.*

2. Est Princeps pacis, Pater futuri sæculi. *Isai. 9. v. 6.*

3. Et ipse est caput corporis Ecclesiæ. *Coloss. 1. v. 18.*

4. Primogenitus ex mortuis, ut sit in omnibus principatum tenens *Ibid.*

5. Unus mediator Dei, & hominum homo, Christus Iesus *1. Tim. 2. v. 5*

6. Est salvator, & redemptor noster, qui è servitute diaboli asseruit nos in libertatem filiorum Dei.

7. Advocatum habemus apud Patrem IESUM Christum justum. *1. Joan. 2. v. 2.*

Adjungatur his doctrina Catholicorum, & D. Thomæ dicentis: *Nihil tamen prohibet, aliquos alios SECUNDUM QUID dici mediatores inter Deum, & homines. P. 3. Q. 26. art. 1. in C. Ut retundantur Protestantium cavillationes, quibus sugillant pium carmen Ecclesiæ catholicæ, Divam Virginem Advocatam nostram, & mediatricem, salutantis.*

8. Est Sacerdos in æternum secundum Ordinem Melchisedech. *Pf. 109. D. Thom. P. 3. Q. 22. Art. 1. 5. & 6.*

9. Et simul hostia. *D. Thom. ibid. Art. 2.*

10. Est caput omnis Principatûs, & Potestatis (*Coloss. 2. v. 10.*) etiam angelicæ.

12. Nulli itaque legi humanæ fuit subditus.

12. Datus à Deo fuit hominibus, non tantum, ut Redemptor, cui fidant; sed etiam Legislator, cui obediunt. *Trid. Sess. 6. Can. 21.*

Non dedi

Quo loco

Helvid

pellari

Gl.

tur. De

una fan

& in Ev

& Sim

commu

cuntur

nati,

mas a

no. ul

dicte f

(1.) Petri

nostrum: at

quod in homi

net Filii Dei,

S. Bern. Epist

pova docue

Hic Basilus

te, neque i

fautic Christ

1. Quo fa

laneri titulo

lanis David

2. Utrum C

& hominum

art. 2.

3. Quo

monis,

13. Non dedignatur vocari frater, & amicus noster.

Quo loco observandum ex D. Hieronymi libello contra Helvidium, quatuor modis in Scripturis sacris fratres appellari: NATURA, ut Esau & Jacob, Andreas & Petrus; GENTE, quo modo omnes Judæi inter se fratres vocantur. *Deuter. 15. v. 7. & alibi*; COGNATIONE, qui sunt de una familia; sicut Loth frater Abrahæ dicitur. *Gen. 13. v. 8.* & in Evangelio fratres Domini dicuntur Jacobus, Judas, & Simon; AFFECTU, qui in duo scinditur, in *spirituale*, & *commune*. In *spirituale*, quia omnes Christiani fratres dicuntur. In *commune*, quia omnes homines, ex uno patre nati, pari germanitate conjungimur. Hinc S. Hieronymus dicit, AFFECTU fratres esse Domini, non adoptione, ubi dicit: *Narrabo nomen tuum fratribus meis; & item: iste, dicite fratribus meis.* Epist. Synod. Conc. Francof.

ERRORES.

(1.) Petri Abaillardi, negantis, Christum esse redemptorem nostrum: ait enim: *Ut vobis videtur, nec diabolus unquam jus aliquod in homine habuit, nisi forte Deo permitte, ut carcerarius; nec Filius Dei, ut hominem liberaret, carnem assumpsit.* Ità refert S. Bern. Epist. 190. (2) Simile quid sub ipsa Apostolorum tempora docuerat Bassius quidam, cujus mentio fit apud Philastrum. Hic Bassius dixit non sperari salutem, neque in Christi Majestate, neque in ejus præsentia corporali. (3) Helvidii asserentis, fuisse Christo fratres, eadem ex Matre natos.

QUÆSTIONES.

1. Quo sensu Christus fuerit *Rex Judæorum*; an alio peculiariori titulo, quàm quo fuit Rex universi orbis; an jure successionis Davidicæ.

2. Utrum Christus, secundum quod homo, sit mediator Dei & hominum; an secundum quod Deus. S. Thom. P. 3. Q. 26. art. 2.

3. Quo sensu genus humanum fuerit sub captivitate demonis.

SECTIO XIV.

Adoratio Christi, imaginum ejus, ac instrumentorum passionis.

PRÆSCITA.

1. Honor est reverentia alicui exhibita propter suam excellentiam. S. Thom. P. 3. Q. 25. Art. 1. in C.
2. Causa autem honoris est id, ex quo ille, qui honoratur, habet aliquam excellentiam. *Ibid.*
3. Et ideo, si in uno homine sunt plures causæ honoris, erit quidem illius hominis unus honor ex parte ejus, qui honoratur; plures tamen secundum causas honoris: homo enim est, qui honoratur, e. g. & propter scientiam, & propter virtutem. *Ibid.*
4. Excellentia autem, propter quam quis honoratur, vel est *infinita, increata, & suprema*, qualis est in solo Deo;
5. Vel est *finita*; ut in hominibus, & angelis.
6. Eaque rursus, vel est *merè naturalis*, aut *civilis*; ut in Principibus, magistratibus, nobiles, sapientibus, opulentis &c.
7. Vel excellentiâ *merè naturali major*, ob divinorum gratiarum dona; qualis est in bonis Angelis, & hominibus sanctis.
8. Adoratio principaliter quidem in interiori... reverentiâ consistit; secundariò autem in quibusdam

corporalibus humilitatis signis... ut, dum genufle-
ctimus, dum nos prosternimus. S. Thom. 2. 2. Q.
84. Art. 2 ad 2.

9. Adorationis nomen variis modis usurpatur in Ss.
Scripturis:

1^o pro cultu interiore, & externo exhibito hominibus ob
excellentiã merè naturalem.

Sic Abraham adoravit filios Heth, *Gen. 23. v. 7.* David Sati-
lem 1. *Reg. 24. v. 9.* Abigail Davidem. *Cap. 25. v. 3. &c.*

2^o pro ejusmodi cultu exhibito angelis, & hominibus, ob ex-
cellentiam supernam, & merè naturali majorem.

Ita *Num. 22. v. 31.* Balaam; *Jos. 5. v. 15.* Josue adoravit ange-
lum, postquam intellexit, eum esse Principem exercitus
Domini. 1. *Reg. 28. v. 14.* Saul Samuelem mortuum, sibi
apparentem, adoravit; 3. *Reg. 18. v. 7.* Abdias, secundum
dignitatem, licet humanam, Eliã superior, eum adoravit
velut Prophetam.

3^o pro cultu, ob infinitam Dei excellentiam illi, uni & soli de-
bito.

Hæc postrema vocatur à Patribus cultus *Latria*. Secunda
dicitur cultus *Dulia*, & aliquando non *cujuscunque dulia*
(putà, quæ communiter exhibetur aliis creaturis, sed cu-
jusdam *excellentiore*, quam *Hyperduliam* vocant. S. Thom.
P. 3. Q. 25. art. 2. ad 1. Prima cultus *civilis* dicitur.

10. Honor, seu reverentia, non debetur, nisi rationali
creaturæ. S. Thom. *ibid. Art. 4. in C.*

11. Creaturæ autem insensibili (potius insensitivæ)
non debetur honor, vel reverentia, nisi *ratione ra-
tionalis nature*. Et hoc dupliciter: *Uno modo*, in
quantum repræsentat rationalem naturam. *Alio
modo*,

modo, in quantum ei quocunque modo conjungitur. S. Thom ibid.

Cultus ejuscemodi, sive honor, vocari à Theologis solet *relativus, vel respectivus*. Quo sensu de Arca fœderis dicitur Psal. 38. v. 5. *Et adorare scabellum pedum ejus: quoniam sanctum est.*

12. Duplex est motus animæ in imaginem: *Unus* quidem in ipsam imaginem, in quantum est res quædam, putà lignum sculptum, vel pictum. *Alio modo*, in quantum est imago alterius. S. Thom, *ibid. Art. 3. in C.*

13. Motus, qui est *in imaginem*, in quantum imago est, unus, & idem est cum illo, qui est *in rem representatam*. Idem *ibid.*

DOGMATA.

1. Ità Christum unum, & Dominum confitemur, non tanquam hominem cum Verbo *coadorantes* (ne divisionis quædam species inducatur) sed unum jam & eundem adorantes. *Conc. Eph. I. can. 13, & 8.*

Una enim est in Christo duarum Naturarum Hypostasis.

2. Adoratur caro (& Humanitas) Christi, incarnato Verbo Deo, non propter seipsam, sed propter unitum ei secundum Hypostasim Verbum. *S. Damasc. Lib. 3.*

3. Cùm in Christo sit tantùm una persona, divinæ, & humanæ Naturæ, ... & unum Suppositum: est quidem
ejus,

ejus una adoratio, & unus honor ex parte ejus, qui adoratur. Sed ex parte causæ, quâ honoratur, possunt dici plures adorationes. S. Thom. P. 3 Q. 25.

Art. 1. in C.

Ut scilicet alio honore honoretur propter Sapientiam increatam, alio propter sapientiam creatam. S. Thom. *ibid.* Consideratur Præsc. 2. & 3.

Ita quòd una, & eadem Persona Christi adoretur adoratione *latriæ* propter suam divinitatem, & adoratione *dulia* (non cujuscunque, sed cujusdam excellentioris, quam *Hyperdulia* vocant) propter perfectionem Humanitatis. S. Thom. Q. 25. *cit Art. 2. in C. 23 ad 1.*

3. Imagini Christi, in quantum est imago, & ipsi Christo (vid. Præscit. 11. 12. & 13.) eadem reverentia exhibetur. S. Thom. Q. 25. *cit Art. 3. in C.*

Cum ergo Christus adoretur adoratione latriæ, consequens est, quòd ejus imago sit adoratione latriæ adoranda. S. Thom. *ibid.*

4. Idem sentiendum de NOMINE JESU, in quo omne genu flectatur. *Philip. 2.*

5. Crux Christi vera, in qua passus est, adoratur eadem adoratione cum Christo, scilicet adoratione latriæ. S. Thom. *ibid.* *Art 4. in C.*

Sed adoratione (Præsc. 11.) relativâ, uno modo, in quantum repræsentat nobis figuram Christi extensi in ea: alio modo ex contactu ad membra Christi, & ex hoc, quòd est ejus sanguine perfusa. S. Thom. *ibid.*

6. Cruces alia, ad illius similitudinem sculptæ, vel pictæ; uti & figura manuum ductu expressa, sunt in veneratione habendæ.

Idem

Idem iudicium esto de aliis instrumentis passionis Domini, deque ejus vestimentis.

Critica ditquisitio, quam fidem mereantur ejusmodi reliquia, qua Treviris, Moguntia, Aquisgrani, Norimberga, Taurini, Argentonii in Gallia, & alibi, monstrantur, pro scholis foret nimis proluxa. Satis erit remittere Auditores ad sacros Philologos horis subcisiivis consulendos.

ERRORES.

(1.) Nestorii, & asseclarum ejus, qui, ut duas in Christo personas statuebant, ita aliam tribuebant adorationem divinitati Christi, aliam humanitati. (2.) Theodori Mopsuesteni, agentis, Christum ad similitudinem imaginis imperialis *in Personam Dei Verbi* adorari; damnati propterea in Conc. Constantinop. II. Can. 11. (3.) Quorundam, qui saeculo IX. veram Christi crucem sic honorandam censebant, ut reliquas ad ejus similitudinem efformatas rejicerent; ut refert Amalarius Cap. 4. de divin. offic. (4.) Aliorum, qui paulo post, duce Claudio Taurinensi, tam veram, quam caeteras cruces conculcârunt. Hujus erroris in Oriente socii exstiterê Pauliciani, Secuti eum in Occidente saec. XI. Petrobussiani, saec. XII. Wicleffistæ; saec. XVI. Calvinistæ. (5.) Signum crucis, quod à Catholicis manuum ductu fieri solet, deriserunt Manichæi, apud S. Augustinum Lib. 6. contra Faustum. Hos imitati Calvinistæ, (6.) Huc referri etiam potest hæc

PROPOSITIO DAMNATA.

Ab Alexand. VIII. 25ta. *Dei Patris simulacrum nefas est Christiano in templo collocare.*

Ubi satisfaciendum auctoritati, quam ex S. Damasceno profert S. Thom. P. 3. Q. 25. art. 3. his verbis: *Inspientia summa est, & impietatis, figurare, quod est divinum.* Videri potest Cajetanus in hunc D. Thom. locum.

QUÆ.

QUÆSTIO THEOLOGICA.

Quo sensu canat Ecclesia: *O crux ave, spes unica* &c.
 De Sanctorum cultu, eorumque reliquiis, & imaginibus, in
 honore habendis (quo de negotio disputare hoc loco so-
 lent quidam Theologi, exemplo S. Thomæ *2. 2. cit. Art.*
6.) dictum *Tract. II Part. 2 sect. 4.*

PARS II.

Historia dogmatica Incarnationis.

SECTIO I.

De Matre Christi.

DOGMATA.

1. Ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, FACTUM EX MULIERE, factum sub lege, *Gal. 4. v. 4.*
 Neque audiendi sunt, qui legendum putant: NATUM ex muliere, factum sub lege; sed FACTUM ex muliere: quia conceptus ex utero virginali, carnem non de nihilo, non aliunde, sed maternâ traxit ex carne. Alioquin nec verè Filius hominis diceretur, qui originem non haberet ex homine. Ven Beda *Lib. 4. Cap. 49. in Luc. 11.*
2. Fuit igitur verè *Mater ejus Maria.* *Matth. 1. v. 18.*
3. Desponsata Josepho; *Ibid.*
 Cur conveniens fuerit, Christum nasci ex desponsata, exponit S. Hieronymus in hunc S. Matth. locum.
4. Antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto. S. Matth. *ibid.*

5. Fuit Virgo ante partum (*Ecce Virgo concipiet*, Isai. 7. v. 14.) in partu, (*Et pariet filium*, ibid.) & post partum (vid. S. Thom. P. 3. Q. 28.) quem edidit sine dolore.
6. De beata Virgine sancta tenet Ecclesia, eam in tota vita peccata omnia, etiam venialia, vitasse, ex speciali Dei privilegio *Arg. Conc. Trid. Sess. 6. Can. 23.*
7. Assumpta in cœlum cum corpore, & animâ
8. Non est adoranda est *latria*; sed tantum cultu *hyperdulia* colitur. S. Thom. P. 3. Q. 25. Art. 5.

ERRORES.

(1.) Cerdonis, qui negavit, Christum natum ex fœmina, & carnem habuisse; cui adhæserunt longo post tempore Proclianitæ. (2.) Apellis, qui docuit, Christum carnem suam non de matre sumpsisse, sed ex elementis. (3.) Valentini, qui asseruit, Christum à Patre missum, corpus cœleste secum traxisse, nihilque traxisse de Virgine; sed per illam, tanquam per rimam quandam, aut fistulam, sine ulla carne ex ea assumptâ, transisse. (4.) Apollinaris, qui pariter sensit, Christum non sumpsisse carnem ex Virgine, sed in ipso incarnationis opere aliquid Verbi in carnem fuisse conversum. (5.) Helvidii, qui perpetuam B. MARLÆ Virginitatem impugnavit; confutatus à D. Hieronymo. (6.) Protestantium nonnullorum modernorum, qui peccata, non modò levia, sed etiam gravia, conantur sanctissimæ Virgini impingere, ut e. g. infidelitatem, cum Angelo, incarnationis mysterium annuntianti, non crediderit. (7.) Eorundem, existimantium, vel plebeculæ suæ saltem imponentium,

coli

coli à Catholicis B. Virginem instar Dex cultu latriz. (8) Eorundem, oppugnantium S. MARIE, & Sanctorum omnium, cultum, & invocationem.

PROBLEMATA.

1. Quid constet de Parentibus B. Marix, Joachimo, & Anna. *Vid. Benedict. XIV. in comment. de Festis Christi, § B. V.*
2. An fuerit verum matrimonium inter B. V. & S. Josephum, De intaminato B. Virginis conceptu dictum supra de peccato originali.

SECTIO II.

De Christi Domini Conceptu, Nativitate, & Pueritia.

DOGMATA.

1. Conceptus est de Spiritu sancto. *Symb. Apost.*

Ubi exponetur, cur efficere conceptum Christi attribuat Spiritui sancto; quamvis S. Augustinus verè dicat Lib. 1. de Trinit. *Indivisa sunt opera Trinitatis, sicut & indivisa est Trinitatis essentia* Vid. S. Thom. P. 3. Q. 32. Art. 1.

Item, cur dicatur Christus conceptus de Spiritu sancto, quamvis Spiritus sanctus non formaverit corpus Christi ex substantia sua. S. Thom. *ibid.* Art. 2.

2. Corpus Christi primo conceptus momento fuit & formatum; & animatum animâ rationali; & à Verbo divino assumptum.

Simul caro, simul Dei Verbi caro, simul caro animata animâ rationali, & intellectu. S. Damasc. Lib. 3. & S. Aug. de Fide ad Petrum: Firmissime tene, & nullatenus dubites, carnem Christi non fuisse conceptam in utero Virginis prius, quàm susciperetur à Verbo.

3. Natus est in Bethlehem Juda, imperante Cæsare Augusto. *Luc. 2.*
4. Nativitas hæc fuit manifestata, non omnibus, sed re-
stibus præordinatis à Deo; putà pastoribus, magis,
Simeoni, & Annæ.
5. Velut Abrahæ Filius circumcisisus est, ut veritatem
carnis humanæ ostenderet, & obediendi virtutem
nobis suo commendaret exemplo; ut sub lege factus,
eos, qui sub lege erant, redimeret. Vid. S. Thom.
P. 3. Q. 27. Art. 1.
6. Vocatum est nomen Ejus JESUS, id est, Salvator.
Ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis
eorum. *Luc. 2. Matth. 1.*
7. Cùm voluerit sub lege fieri, congruum fuit, ut in
templo præsentaretur cum oblationibus in lege
præceptis; ut factum legimus *Luc. 2.* Vid. D. Thom.
ibid. Art. 3.
8. Quamquam B. Virgo peccato non fuerit obnoxia;
deciit tamen ex humilitatis suæ gratiâ, ut in templo
utì purganda præsentaretur. *Ibid. Art. 4.*
9. Infans translatus est in Ægyptum; eò quòd Hero-
des quæreret puerum, ad perdendum eum. Qui ira-
tus valde occidit omnes pueros, qui erant in Bethle-
hem, & omnibus finibus ejus, à bimatù, & infra.
Matth. 2.
10. Mortuo Herode rediit in Galilæam, & habitavit in
Nazareth, *Ibid.*

11. Duodennis sedit in templo in medio Doctorum, audiens illos, & interrogans. *Luc. 3.*
12. Inventus post triduum à parentibus, descendit cum eis, & venit Nazareth, & erat subditus illis. *Ibid.*

PROPOSITIO DAMNATA.

Ab Alexand. VIII. 24ta. *Oblatio in templo, quæ fiebat à B. Virgine in die purificationis suæ per duos pullos columbarum, unum in holocaustum & alterum pro peccatis, sufficienter testatur, quòd indiguerit purificatione; quòd Filius, qui offerebatur, etiam maculâ matris maculatus esset secundùm verba legis.*

QUÆSTIONES.

1. Quis sit verus Christi nati annus; & an æra vulgatis Dionysiana sit exacta.
2. Quo tempore contigerit Majorum adventus.
3. Cur Spiritus sanctus in Evangeliiis cætera juventutis Christi acta præterierit.

SECTIO III.

De Christi gestis ab anno ætatis trigesimo usque ad passionem ejus, & mortem.

DOGmata.

1. Cùm esset triginta annorum, baptizatus est à Joanne Baptista in Jordane; ubi Divinitas ejus fuit prodigiis cœlestibus manifestata. *Matth. & Luc. 3.*
2. Ductus postea à spiritu in desertum, post quadraginta dierum jejunium tentatus fuit à diabolo. *Ibid. Cap. 4.*
3. Exinde cœpit Jesus prædicare; & discipulos sibi deligere. *Ibid.*

4. Se à Patre cœlesti missum, & Filium Dei esse, ostendit innumeris miraculis, vaticiniis, & vitæ integerrimæ testimonio. *Ex Evang. passim.*
5. Doctrina ejus fuit sancta, cœlestis, spirans sapientiam divinam, sapientiæ carnis prorsus contrariam.

Ex his doctrina ejus ita evidenter reddebatur credibilis; ut non nisi cæci, & duces cæcorum, ei possent, repugnare. Opera, qua dedis mihi Pater, ut faciam, ipsa testimonium perhibent de me. Joan. 5. Vid. S. Thom. P. 3. Q. 43. Art. 4.

ERROR

Theodori Mopsuesteni, qui assererat, debuisse Christum, tanquam purum hominem, baptizari in nomine Dei Patris, Filii, & Spiritûs sancti, & per baptismum gratiam sancti Spiritûs accipere, & adoptionem promereri; ut refertur in Conc. Constantinop. II. *Can. 12.*

QUÆSTIO.

Utrum, & quando, Sathani suboluerit, advenisse jam Messiam, & hunc esse JESUM.

SECTIO IV.

De Christi passione, morte, sepultura, descensu ad inferos.

DOGMATA.

1. Pridie mortis suæ, pascha cum discipulis manducans, S. Eucharistiæ sacrificium instituit.

Uberior hujus Mysterii explicatio reservabitur ad locum suum, puta ad materiam de S. Eucharistia, & Sacramento Ordinis.

2. Hym-

2. Hymno dicto, egressus in hortum cœpit pavere, tædere, & mœstus esse, ac calicem, si possibile esset, deprecari.
3. Osculo à Juda proditus, captus, Pontio Pilato à Pontificibus traditus, hîsque argentibus iniquè damnatus ad mortem.
4. In crucem actus, voluntariò obediens Patri, semetipsum obtulit immaculatum Deo. *Heb 9 v. 14.*
5. Non desperavit in cruce; sed Spiritum suum in manus Patris commendans, & clamans voce magnâ, exspiravit.
6. Mox Anima ejus descendit ad inferos; non tamen passa damnatorum cruciatus.
7. Corpus ejus verò aromatibus conditum, & sepultum est in sepulchro novo.
8. Quod Verbum assumpsit, nunquam dimisit. Hinc in morte Christi corpus quidem separatum fuit ab anima, neutra harum partium verò à Divina hypostasi.

ERRORES.

(1.) Cerdonis, asserentis, Christum neque natum ex Virgine, neque habuisse carnem, neque verè mortuum, neque passum quidquam, sed simulâsse passionem. *S. Aug. de Heres. Cap. 21.* Eundem errorem tutantur Manichæi, & quicumque corpus non nisi phantasticum Christo tribuunt. (2.) Aliorum, delirantium, non Christum, sed Simonem Cyrenæum, ejus loco, in crucem actum, & occisum. Hujus erroris auctor fuit Basilides, de quo *Euseb. Hist. Eccles L. 4. c. 8*; Hunc secutus postea quidam Marcus,

cus, à quo dicti Marcitæ. (3.) Petrus quidam Joannis docuit, Christum etiam nunquam viventem, sustinuisse vulnus lanceæ. Qui error damnatus est in Concilio Viennensi sub Clemente V. (4.) Galvini *Lib. 2. Instit. Cap. 16. §. 12.* docentis, Christum de animæ suæ salute timuisse, & in *Harmonia in Cap. 27. Matth.* ait: Christum non quidem desperasse, tamen emisisse *vocem desperationis*, dum dixit: *Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Verè Christum desperasse in cruce, & damnatum fuisse, docuit Apostata apud Surium ad annum 1527. (5.) De descensu Christi ad inferos Calvinus ita sentit: Nullum esse locum subterraneum pro impiis, nec purgatorium, nec limbum Patrum. *Lib. 2. instit. Cap. 16. §. 9.*; sed pœnas damnatorum nihil aliud esse, quàm terrorem, & anxietatem conscientiæ, cogitantis Deum sibi esse iratum, & infestum. *Lib. 3. Inst. cap. ult.* Unde Christum descendisse ad inferos sic explicat *Lib. 2. Inst. Cap. 16. cit. §. 8, & seqq.* quòd passus sit dolores animarum damnatarum. *Dixit in anima cruciatus damnati, & perditu hominis, sustinuit.* Idem docet in Catechismo parvo; in *Harmon. ad Cap. 27. Matth.* (6.) Brentii, in suo Catechismo anni 1551. docentis, descendere ad inferos, esse penitus interire, & extinguì. Unde in *Cap. 2. Act.* inducit Christum sic loquentem: *Descendam ad infernum, sentiam dolores inferni, & planè periisse videbor.* (7.) Buceri in *cap. 27. Matth. Bezzæ in cap. 2. Act.* asserentium, nomine inferni in Ss. Scripturis intelligi *sepulchrum*. Christum ergo descendisse ad inferos, nihil esse aliud, quàm esse sepultum.

QUÆSTIONES.

1. Quomodo intelligendum illud Petri *Act. 3. v. 17.* *Scio, quia per ignorantiam fecistis, sicut & principes vestri.* An hæc Judæorum ignorantia cenferi possit inculpata.
2. Quomodo Deus Christum in passione suâ dereliquit.
3. An sanguis Christi, tempore passionis effusus, manserit Verbo hypostaticè unitus.

Gravis hæc de quaestione Dominicanos inter, & Francisca-
nos, orta est controversia sub Pio II. ut refert Collius, Do-
ctor Mediolanensis Lib. *De sanguine Christi.*

5. Quid sentiendum de opinione Durandi, existimantis,
Christum descendisse ad inferos *per solam operationem.*

6. Ad quæ ergastula inferorum descenderit; & quas animas
liberaverit; an detentas in igne purgante; an etiam damnatas.

7. Quo pacto vera fuerint verba Christi ad latronem: *Hodie
mecum eris in Paradiso.*

8. Utrùm verè dicatur in rigore dialectico: *Christus descen-
dit ad inferos. Christus fuit sepultus.*

SECTIO V.

*De Christi Domini resurrectione, ascensu in caelos,
& missione Spiritus sancti.*

DOGMATA.

1. Tertiâ die resurrexit à mortuis. *Symb. Apost. &
Nicen.*

2. Evidentia resurrectionis suæ signa edidit, non omni
quidem populo, sed testibus præordinatis à Deo, A-
postolis, & Discipulis, qui manducaverunt, & hibe-
runt cum illo, postquam resurrexit à mortuis. *Act.
cap. 1. v. 2. & cap. 10. v. 41. Vid. S. Thom. P. 3.
Q. 55. Art. 6.*

3. Per dies quadraginta apparens eis, & loquens de reg-
no Dei, *Act. 1. v. 3.*

Quo tempore multa, ad novæ Ecclesiæ suæ formam perti-
nentia, constituit, & Apostolos edocuit.

4. Denique videntibus illis elevatus est, propriâ virtute

in caelos ascendens; ubi sedet ad dexteram Patris.
Act. 1. Symb. Apost.

5. Cùm complerentur dies Pentecostes, misit illis à Patre promissum Spiritum sanctum. *Act. 2.*

6. Illi autem profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis. *Marc. ult. v. ult.*

ERRORES.

(1) Pharisaorum, & Pontificum, qui Christi resurrectionem, licet multis argumentis manifestam, credere pertinaciter renuerunt. (2) Cerinthi, qui teste S. Augustino dixit, Christum non resurrexisse, sed aliquando surrecturum. (3.) Apellis, qui teste S. Augustino, & Philastro, docuit, Christum carnem suam non de matre, sed ex elementis, sumpsisse, quam resurgens ex mortuis mundo reddiderit, & ita sine carne ad caelum ascenderit.

QUÆSTIONES.

1. Quanto tempore Christus manserit in sepulchro.
2. An quidam mortui tunc resurrexerint ante Christum, & cur is dicatur *Primitia dormientium*. 1. Cor. 15 v. 20.
3. Quænam Sacramenta, & quæ res aliæ, circa Ecclesiam censenda sint à Christo instituta esse tempore, resurrectionem inter, & ascensum suum, intermedio.

